



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs XX. De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post  
Divortium restituenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

Unde, sicut cum ex causa hæresis & in istius poenam, sic etiam cum ob sævitiam & in istius poenam lata divortii perpetui sententia est, locus non est matrimonii redintegrationi: quantumvis ille hæresin ejuret & ista sævitiam præter spem deponat.

110. Excipiendus tamen est casus, quò conjugis sævitia caruit culpâ; quòd pro-  
venerit ex furore, qui Medicorum aliorumque peritorum judicio nunquam remissurus & perpetuus fore credebatur; cum enim jure conjugali quis perpetuò privandus sine sua culpa non sit, divortii perpetui sententiæ locus vix est: & si talis lata, ejusque vigore Religionis professio edita jam fuisset, à conjugis furioso ad sanam mentem & tranquillitatem re-

deunte, is, qui judicio Ecclesiæ divertit, repeti possit, religionis ingressu & sacri Ordinis susceptione non obstante; quòd, cum Ecclesiam appareat fuisse deceptam, ejus sententia retractanda sit: sicut de sententia divortii, ex fornicationis causa lata, dictum est *Lib. 2. tit. 27. à n. 74.*

Quartò demum lepra vel alius morbus contagiosus & periculosus, juxta *c. 1. V. Si verò, de Conjug. Lepros. & ibi dicta à n. 6.* Ratio est; quia, hoc ipsò; quòd cuiusvis à natura concessum sit, grave malum corporis declinare, conjugii lex non obligat ad cohabitationem, cum gravi vitæ & salutis etiam corporalis periculo conjunctam, Laiman. *Lib. 5. Traçt. 10. p. 3. cap. 7. n. 16.*



## TITVLVS XX.

### De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda.

**I**N Divortiorum causas in iudicium deductas incidere plerumque solent quæstiones de Dotis & propter nuptias Donationis restitutione, solutò matrimonio, faciendâ: quarum proinde & Donationum, quæ inter conjuges fiunt, Jus ad hanc Rubricam declaratur.

#### ARTICVLVS I.

#### De Valore & Firmitate Donationum inter Conjuges.

#### SUMMARIUM.

1. *Donatio alia fit Ob causam, alia magis Liberaliter:*
2. *Quarum hæc inter conjuges infirma est,*
3. *Jure saltem communi,*
4. *Eam, si donantem pauperiorem,*
5. *Et donarium locupletiore reddat, infirmante:*
6. *Idque etiam, cum donatio per personas intermedias,*
7. *Vel debitum remittendò,*
8. *Aut ante matrimonium inicum, fit:*  
D d d
9. *Nisi*

9. Nisi in istius soluti,
10. Vel nondum constantis tempus conferatur:
11. Subsistunt donationes inter conjuges Principes,
12. Et inter alios pro adipiscendo honore &c.
13. Vel ex justa commiseratione,
14. Aut metu confiscationis bonorum facta.
15. Uti & donationes mutua
16. Et remuneratoria.
17. Firma etiam est renuntiatio lucrorum futurorum, facta ante nuptias:
18. Post quas nec quasitarum,
19. Nec quarendorum lucrorum renuntiatio valet.
20. Non valet donatio conjugum ante matrimonij consummationem.
21. Valet facta inter conjuges putatios, confictos nullitatis matrimonij:
22. Non etiam cum hanc uterque,
23. Aut solus donans ignorat.
24. Solò donatario ignorante facta. Jure subsistit.

**D**onationes inter conjuges quædam Ob causam aliquam, ut ea, quæ Ante vel Propter nuptias vocatur, & à marito uxori affertur contemplatione dotis, sive ad istius securitatem, l. *fin. pr. & §. 1. C. de Donat. ante nupt.* aliæ Gratis & ex mera Liberalitate fiunt, l. *1. pr. ff. de Donation.* & Simples vocari solent: quarum donationum prior per nuptias confirmatur: & sicut dos, sine iis consistere, non potest, §. *Est & aliud 3. Instit. de Donat. & l. fin. pr. C. de Donat. inter vir. & uxor.* De posteriori & ad propositam Rubricam declaranda

2. Juris communis Regula est, insti-

mam inter conjuges esse donationem, quæ fit ex mera liberalitate, & donantem pauperiorem, donarium verò sive recipientem efficit locupletior, c. *fin. & l. 1. ff. hâc Rubr.* ubi ratio ea redditur; ne conjuges mutuo amore se invicem spoliarent, dum donationibus non temperantes profusâ erga se liberalitate uterentur; itaque melior in paupertatem incideret & deterior locupletaretur, l. *Hac ratio 3. pr. ff. Rubr. cit.* Aliam rationem reddidit Paulus JCT.º; ne conjugalis concordia & conjugia ipsa venalia, aut pretiò conciliata videantur, & occasio præbeatur divortii, si non donet is, qui posset, l. *Nec esset 2. ff. ibid. Concordiam enim (& societatem atque affectum conjugalem) non pretiò, sed obsequiò, virtute & industriâ comparandam sapientes & merito censuerunt cum Cicerone Lib. 2. de Officiis.* Cujus Regulæ argumentò à contrario ductò de Jure subsistit conjugii à conjugæ facta donatio, quâ vel donans pauperior, vel recipientes sive donatarius locupletior non evadit, l. *Si sponsus cit. §. 16.*

Dixi, *Juris communis*, propter Provinciale Bavaricæ nostræ, in qua inter conjuges liberè factæ donationes, nullis extantibus aut supervenientibus liberis, valent: his autem supervenientibus evanescent, Landrecht Tit. 1. *art. 15. pr.*

Pauperior autem donans fieri censetur, cum ejus patrimonium actu habitum diminuitur: non etiam, cum maritus v.g. in gratiam uxoris, quod possidet, non acquirit, repudiandò v.g. hereditatem aut legatum in gratiam uxoris: cui illam aut hoc, ipsò non adeunte vel acceptante, ex substitutione aut institutione vel legitima successione sive ab intestato licet obventurum; quia sic non diminuitur substantia patrimonii actu habitæ; ac proinde etiam pauperior non evadit, l. *Si sponsus 5. §. 13. & 14. ff. hâc Rubr.* Neque

- Neque obstat, quòd *l. Hac ratio 3. §. fin. & l. Idemque 4. ff. ibid.* actus, quòd maritus sibi donaturum uxori dare iussit, nullius momenti, & perinde esse dicitur, acsi maritus rem acceptatam & suam factam uxori dedisset; quia *ll.* istæ accipiendæ sunt de marito, qui uxori dare iussit post donationem jam acceptatam, ut colligitur ex *V. iusserit*, importante necessitate, *l. 1. ff. Quòd iussu.* Quò casu facta donandi iussione utique patrimonium jam habitum diminuitur, Gomez *Lib. 2. Var. cap. 4. n. 24.* Sanchez *Lib. 6. de Matrim. disp. 4. n. 2.* Bruneman *in l. Si sponsus cit. n. 10.* & Salgado *Labyrinth. Credit. Lib. 2. cap. 14. n. 41.* asserens, in *ll. cit.* casibus virtualiter duos actus intervenire: unum, quò donatio tacitè acceptatur: alterum, quò donatio transfertur in uxorem,
5. Locupletior contrà fieri donatarius non censetur, quando donatur eà lege; ut res donata in tertium transferatur, aut in istius bonum convertatur. Unde valet donatio conjugii facta ad fundationem Capellæ aut lampadis in ea arsuræ, aut ad pauperem alendum in studiis; quia huiusmodi donatione, licet donans pauperior, donatarius tamen locupletior non evadit, *l. Si sponsus cit. §. 10.* Aliud esset, si rem sibi donatam ex sua, non donantis voluntate prodigè & inutiliter absumpisset; hòc enim casu repetitioni locum esse, contra *cit.* Sanchez *disp. 3. n. 3.* verissimilius censent Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 289. n. 16.* & Haunold. *Tom. 3. de J. & J. Tract. 9. n. 220.* ubi uterque monet, donatarium teneri rem donatam conservare, & non nisi in gratiam donantis & ex eius voluntate expendere.
6. Atque sic declarata Regulæ locus est Primò, in donatione facta per interpositas personas, vg. si Titius det Cajo; ut donet suæ uxori, *l. Si sponsus cit. Qui enim*
- per alium facit, perinde est, acsi faciat per se ipsum,* Regula est *72. in 6.* Zæsius *in ff. hac Rubr. n. 4.*
- Secundò, in remissione debiti vel pretii rei venditæ: imò, quantumvis aliàs venditio & alii contractus inter conjuges liciti sint, invalida tamen est venditio, quam donandi animò facta, constat, *l. cit. §. 5.* quia palliata donatio est, Gaill. *Lib. 2. observat. 90. n. 8.* & Zæsius *l. cit. n. 5.*
- Tertiò, in donatione ante matrimonium in initum facta, si ejus effectus sive translatio domini conferatur in tempus matrimonii, *l. Cum hic statum 32. §. 22. ff. hac Rubr. & l. Quòd sponsus 4. C. de Donat. ante nupt.* Ratio est; quia idem est, aliquid fieri tempore inhabili & in tempore inhabile conferri, *l. In tempus 62. ff. de Hered. instit.* sicut contrà valida est donatio, relata in tempus matrimonii, per mortem soluti, *l. Si cum 9. §. fin. ff. hic,* quæ pro validis habentur donationes mortis causâ inter conjuges; quia in hoc tempore excrevit donationis eventus, quò vir & uxor esse desinunt, *l. Quia in hoc 10. ff. etsi mortis causâ donatæ rei dominium ante donantis mortem non transferatur, l. Sed interim 11. pr. ff. Rubr. cit.* Eodem modò valere legatum, colligitur ex *e. 1. de Testament. in 6.* quia, licet quædam donatio sit, *l. Legatū 2. ff. de Legat. 2.* tamen refertur in tempus matrimonii soluti, quò donatio inter conjuges valet, Zæsius *ibid. n. 2.* & aliis DD. *cit.* Barboisa *in l. Quòd sponsus cit. n. 4.*
- Obstat quidem videtur; quòd ante nuptias facta inter sponfos donatio jure subsistat: quantumvis inter eos eodem die nuptiæ consequantur, per expressum textum *l. Inter eos 27. ff. hic.* Sed revera non obstat; quia, licet hoc verum sit de donatione absoluta, & dominium statim transferente, tamen non procedit de ea, quæ istius translatio confertur in tempus nu-

pus nuptiarum jam contractum, Glossa in l. Quod sponsa cit. v. Sine effectu. Rationem, cur hæc nulla sit, eam reddit; quod ante nuptias dominium non transferat; quia donans noluit: post eas verò; quia non potuit, Jure donationem infirmante, cit. Sanchez disp. 1. n. 7.

11. Præteritus tamen donationis, in matrimonii soluti tempore collatae, aut ex donantis voluntate in alterum conferendae, à dicta Regula excipiuntur & de Jure subsistunt. Primò, Donationes inter supremum Principem ejusque conjugem, v.g. Imperatorem & Imperatricem, l. Donationes 26. C. hæc Rubr. quòd, ut ibi dicitur, Imperiales contractus legis vicem obtineant, Molina disp. cit. n. 17.

12. Secundò, marito ab uxore factae pro adipiscendo honore, v.g. Dignitate, Nobilitate, Gradu literario Licentiae vel Doctoratus, l. Quod adipiscenda 40. Sc. ff. & l. Si propriis 21. C. aut ab illo factae uxori, ut comptior & ornatio incedat, l. Femina 8. ff. Rubr. cit. quòd mariti dignitas, honor & splendor etiam uxori accedat: & istius ornatus cedat in honorem mariti; eamque ob causam uterque sua potius quam alterius causa dedisse intelligatur, l. Si ut certò 5. §. 10. ff. Commodati, Corvinus in Enarrat. Cod. hæc Rubric. §. Donans.

13. Tertio, datum ex quadam commiseratione vel pietate, v.g. ad conjugis valetudinem recuperandam, l. Quod in uxorem 13. C. de Negot. gest. in alimenta, si congruam sustentationem & dotis fructus non excedat, l. Ex annuo 15. ff. quòd non tam donatio, quam alimentorum debita solutio esse videatur: ad refectio- nem ædium incendiò exustarum, in tantum, quantum exstructio postulat, l. Quod si 14. ff. hic: causà sepulturæ vel ad elemosynam, l. Si sponsus cit. §. 8. ubi ratio redditur; quòd locupletior fieri non

cenfeatur ex re, quam dicavit Religioni; ad servi manumissionem, l. Quod autem 7. §. fin. quòd præter nudum ministerium nihil accepisse videatur, l. Sulpitius 49. ff. eadem Rubr.

Quartò, gratuita concessio habitatio- nis in ædibus suis, & usus fervorum, animalium, vestimentorum ac similibus, l. Si vir uxori 18. C. l. Si id §. 2. ff. ibidem.

Quintò, à conjugè, quòd exiliò aliæ pœnæ, bonorum confiscationem annexam habente, damnari timeret, conjugi donatum; id enim exiliò subsecutò confir- matur, l. Si mors 13. §. 1. C. l. Inter vi- rum 43. ff. Rubr. cit.

Sextò, uxori à viro facta promissa dotis vel alicujus istius partis & usura- rum illius non solutæ remissio, ut ex l. Si constante 19. v. Sed est, C. de Donat. ante nupt. & ex l. Si vir usuris 55. ff. hic delu- mitur: quòd tamen ex his textibus rectè colligi, negat Haunoldus Tract. 18. n. 11. contra cit. Sanchez n. 10. & Barbolam in c. fin. n. 12.

Dubium hoc locò movetur primò 15. de donationibus mutuis & remunerato- riis. Et mutuas quidem, cum se non ex- cedunt, valere desumitur ex l. Quod au- tem 7. §. 2. ibi, Si vir & uxor quina sibi invicem donaverint, placuit compensatio- nem fieri donationum, ff. hæc Rubr. ut in l. hanc notat Bruneman. n. 2. & Panormit. in c. fin. cit. n. 7. quòd hoc casu neuter pauperior aut locupletior evadat.

Remuneratorias, nisi confirmantur, 16. valere, negat Pinellus de Bonis Matern. Lib. 1. p. 3. n. 61. suadetque ratione; quòd omnia uxoris obsequia marito de- bita sint titulo subjectionis conjugalis. At non persuadet; quia, licet uxor quo- ad legem conjugii subiecta sit marito, præstare tamen ei valet multa obsequia indebita: cujusmodi censentur omnia, quæ præstat ultra id, quòd aliæ ejusdem conditio-

conditionis uxores in iisdem circumstantiis solent, ut rectè advertunt Tiraquellus in l. Si unquam §. C. de Revocand. Donat. V. Largitus, n. 108. & Joan. Garcias de Donat. Remunerat. n. 28. Quare cum DD. istis Panormit. l. cit. Menoch. de Arbitr. Jud. Lib. 2. casa 132. n. 4. & aliis congestis, laudatus Sanchez disp. 6. n. 11. hujusmodi donationes remuneratorias etiam inter conjuges valere, meritò defendit. Ratio est; quia hujusmodi donatio, hoc ipso; quòd supponat præcedentia merita & obsequia, pro quibus remuneratio ex honestate & gratitudine debetur, deficit à propriè dicta donatione, l. 1. §. l. Aquilius 27. ff. de Donat. quibus propriè dicta donatio ea duntaxat reputatur, ad quam faciendam donator nullà alià præcedente causâ, nisi, ut magnificentiam & liberalitatem exerceat, movetur. Cùm ergo verba legum, præsertim irritantium, aut actum aliàs valiturum infirmantium, simpliciter prolata secundùm propriam significationem accipienda sint, l. Non aliter 69. ff. de Legat. 3. lex, donationem inter conjuges infirmans, de propriè dicta sive merè liberali donatione est intelligenda. Confirmat ista Haunoldus Tract. cit. n. 206. quòd, hujusmodi donationes non omnino infirmari, expediens fuerit ad stimulum & excitandum in conjugibus studium bene merendi & exhibendi sibi mutuo obsequia indebita, quibus amor conjugalis conservatur & augetur.

17 Dubium secundò est de renuntiatione lucrorum, constante matrimonio quæsitum & querendum, ab uno in favorem alterius conjugis facta. Quam, saltem, ab uxore in viri, Gutierrez Lib. 2. Pract. q. 126. n. 5. & Sanchez disp. §. n. 5. Covarruvias autem p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 1. n. 11. pro valida habet etiam, si à viro in favorem uxoris fiat,

Contrà, ab utroque in alterius favorem factam, pro invalida seu infirma habent Menhaca Lib. 1. Controvers. Usufreq. cap. 13. n. 6. & cit. Molina disp. 445. n. 4. Quorum mentem plenius aperiet distinctio.

Primò enim, si ejusmodi lucris omnino vel ex parte renuntietur ante matrimonium, renuntiationem valere, cit. DD. omnes consentiunt; quòd non tam donatio sit, quàm contractus onerosus; cùm integrum cuique sit, matrimonium non nisi certis conditionibus, futura lucra spectantibus, inire; neque appareat iniquitas in contractu, à viro v. g. opulento cum foemina paupere inito sub conditione; Ut, sua dote vel insuper certa quantitate contenta, ceteris lucris renuntiet.

Secundò, post matrimonium jam inipitum, lucris saltem jam quæsitis, validè renuntiare nequit vir, ut contra Covarruviam docent reliqui DD. cit. Ratio est; quia medietatis vel partis lucri jam quæsitum, quæ ex contractu ipsi obvenit, verè dominus est; ac proinde ejus renuntiatione ipse verè pauperior & uxor locupletior evaderet.

Tertiò, ejusmodi lucrum jam quæsitum parti sibi competenti, in favorem mariti renuntiare etiam nequit uxor, ut ex cit. DD. contra reliquos docent Menhaca & Molina & cum ipsis Palao p. cit. §. 6. n. 12. Ratio est partim; quia, sicut lux maritus, sic alterius medietatis vel partis lucrum jam quæsitum, dominium habet uxor: & quidem vi contractus & absque ulla acceptatione; ideoque solutò matrimonio transit ad ejus hæredes; atque idcirco ejus cessione in favorem mariti iste locupletior, ipsa verò pauperior evadit: partim verò; quia in hujusmodi cessione locum habent omnes rationes, propter quas inter conjuges factas donationes à jure irritatas, n. 2. est dictum. Verissimi-

D d d ;

rissimi-

risimilius tamen invalida etiam est renuntiatio lucrorum, primum quærendorum, tam ab uxore in viri, quam ab isto in uxoris favorem facta, matrimonio inter ipsos jam confluente, ut contra eosdem iidem docent. Ratio est; quia etiam his renuntians cedit juri, sibi ex contractu quæsito & respiciente futura lucra, sine omni acceptatione obventura, & cum aliis bonis transmittenda ad hæredes: quod jus, cum pretiò æstimabile & in bonis uxoris sit, ejus cessio hanc reddit pauperiorem & cessionarium locupletiozem, obnoxiaque est omnibus argumentis & incommodis, quibus cæteræ conjugum donationes.

Neque, ut Adversarii existimant, cum dictis pugnat; quòd lucrorum quæsitorem omnium administratio, durante matrimonio, sit penes maritum; quia hoc non impedit, quòd minus medietatis aut partis, vi contractus sibi competentis, dominium sit penes uxorem.

Neque etiam; quòd maritus in uxoris, & vicissim ista in mariti favorem repudiare valeat legatum aut hæreditatem; quia dominium medietatis lucrorum, quòd habet uxor, firmitus & strictius est, quam dominium rei hæreditariae aut legatae, quòd habet legatarius aut hæres; cum istorum dominium pendeat ab acceptatione: à qua non pendet dominium lucrorum, constante matrimonio quæsitorem aut quærendorum, ut rectè advertunt *citt.* Molina *n. 5.* & Palao *n. 13.*

20. Dubium tertio est, an valida sit donatio inter sponso de præsentis, facta ante matrimonii consummationem. Ratio dubitandi est; quòd ante consummationem propriè vocentur *Sponsi*, non *Vir & Uxor*, inter quos donatio irritatur, *c. fin. § l. 1. ff. hic.*

Verùm; quia veros conjuges non

concupitus, sed consensus per verba de præsentis expressus facit, *l. Nuptias 30. ff. de R. I. & can. Nuptias, 30. q. 5.* & ad valorem Donationis *l. Seria 66. pr. ff. hâc Rubr.* disertè exigitur; ut facta sit *Ante matrimonium contractum*, quæcunque donatio inter sponso de præsentis etiam ante consummationem facta pro irrita habenda est, & habetur à Navarero *Manual. cap. 17. n. 149.* & Molina *cit. disp. 289. n. 3.* Neque id immeritò; cum inter tales personas non rarò ardentior amor esse soleat, quam inter eas, quæ se cognoverunt. Confirmatur; quia inter ejusmodi sponso locum habet successio, *Rubric. § l. 1. C. Unde vir & uxor, Baldus in l. fin. C. Unde legitimi n. 12.*

Dubium quartò est de valore donationis inter conjuges, ob intercedens impedimentum dirimens, solummodo existimatos. Qua in re distinguendi sunt quatuor casus.

Et primò quidem casu, quò impedimenti & ex isto ortæ nullitatis matrimonii conscius est uterque, donationem in foro Conscientiæ subsistere, cum Sylvestro *V. Donatio 2. q. 1.* non malè volunt *citt.* Molina *disp. 200. n. 9.* & Sanchez *disp. 2. n. 2.* Ratio est; quia hoc ipsò; quòd uterque, se revera conjugem non esse, nôrit, vera & nullo Jure irritata voluntas est ex parte donantis, & ex parte donatarii capacitas datum recipiendi. In foro, inquam, Conscientiæ quia in externo sive judiciali foro inter eos donata in pœnam iniri ejusmodi conjugii fisco vendicantur, *l. Cum hic statutus 32. §. fin. ff. hâc Rubr.* ex quo tamen non sequitur, donatarium non fieri dominum rei donatæ; quia in pœnam auferri potest, quòd est in dominio delinquentis.

Secundò, casu, quò matrimonii nullitatem uterque ignorat, probabilius donationem

nationem esse invalidam, cum Panormit. in c. fin. n. 14. defendunt Sanchez cit. disp. 2. n. 9. & Haunold. Tract. cit. n. 179. non quidem ex legis aut canonis resistentia; quia his irritatae sunt solae donationes inter virum & uxorem, quales isti non sunt: sed ex defectu intentionis in donante: qui, quia erravit circa causam finalem, excludentem consensum, l. Si per errorem 15 ff. de Jurisdic. & donationem non quasi in extraneam personam, sed quasi in uxorem fecit, ut dicitur l. Cum hic status cit. §. 27. in fine, in donationem legitime non consentit. Neque, ut cum Sylvestro q. 1. cit. aliqui opinantur, his adversantur, l. Si ex voluntate 6. C. hac Rubr. verba, Si matrimonium non valuit, licet ipso Jure donatio teneatur; quia tamen donatarius non potest dici maritus, utiles actiones super revocanda his sibi competunt; quia, ut l. cit. Barbosa n. 2. & Bruneman. n. 4. explicant, ea nihil statuitur de valore donationis, sed tantum asseritur, licet ista, quod donans & donatarius conjuges non sunt, de rigore Juris, solas donationes inter conjuges irritantis, videatur valere, nihilominus, quia tanquam in conjugem, ac proin ex errore circa causam finalem profecta est, eam non valere, & obnoxiam esse revocationi.

23. Tertio, pari modo nulla est donatio casu, quo impedimenti & nullitatis matrimonii conscius fuit solus donatarius; ut adeo res donata donanti aut post istius mortem haeredibus sit restituenda: non fito; quia donans utpote impedimenti & nullitatis ignarus, vacat omni culpa, ob quam re sua debeat privari, Covarruvias cit. §. 1. n. 8. & Molina cit. disp. 200. n. 12.

24. Quarto demum, casu, quo nullitatis conscius fuit solus donans, donatione invalidam aliqui censent & desumunt ex

l. Qui contra 4. C. De incest. nupt. à tali donata fito addicente. Sed melius cum Emanuele à Costa in c. Si Pater 1. de Testament. in 6. V. Uxorem, p. 1. n. 6. cit. Covarruvias §. 1. n. 8. & Molina disp. cit. in fine, ejusmodi donationem tanquam validam defendunt, ea permoti ratione; quod valeant à tali relicta per ultimam voluntatem, l. Praefectus 63 ff. de Ritu nupt. & l. fin. ff. de Legatis 1. Cum ergo argumentum ab ultimis voluntatibus ad contractus, & contra, valeat, quoties contrarium non expressum Jure, neque ratione evincitur, ut ex textu Instit. de L. Fus. Canin. toll. & l. Servum 44. §. 1. ff. de Legat. 2. Everard. Legal. arg. locò 36. ostendit, à tali sicut legata, sic etiam donata valebunt. Cujus ratio ulterior est; quia nullitatis conscius non quasi conjugi, sed quasi extraneo donat, & verè consentit in donationem, arg. l. Cujus per errorem 53. ff. de R. I.

Neque aliud eruitur ex l. Qui contra cit. praeterquam enim, quod ea sermo sit de matrimonio solo Jure Civili, non, ut nobis, de eo à Jure Canonico irritato, exaudienda est de casu, quo impedimenti conscius & in mala fide est uterque, & non solus donans, ut ibi notant Glossa V. Fisco, & aliis relatis Barbosa à n. 4.

## ARTICULUS II.

### De ejusmodi Donationis Confirmatione.

#### SUMMARIUM.

25. Donatio inter conjuges confirmari potest,  
26. I. Morte donantis,

27. Post

27. *Post res donatas verè aut fide traditas,*  
 28. *Et illius ante donatarium decedentis:*  
 29. *Nisi ei factam donationem ante revocasset,*  
 30. *Vel ea non insinuata excederet quingentes solidos:*  
 31. *Quos quatenus excedit, non confirmatur.*  
 32. *II. Aliquando, si donans fiat servus pena,*  
 33. *III. Vel in exilium mittatur.*  
 34. *IV. Si is profiteatur Religionem incapacem successioni.*  
 35. *Cujus capacem professi donatio confirmatur morte:*  
 36. *Si à vivente revocata non fuit.*  
 37. *Juramentò verisimilius non confirmatur.*
25. **H**actenus declarata donationes inter conjuges, licet jure utroque, non tamen simpliciter; ut nullum unquam habeant effectum: sed eatenus duntaxat prohibita & irritata sunt; ut firmitate & effectu careant, quamdiu matrimonium inter illos constat. Unde etiam donans rei donatae dominium retinet; & sicut legatum & eam, quae mortis causa fit, sic etiam hujusmodi donationem, dum vivit, revocare pro libitu potest. Quod si eam non revocet, instar legati & mortis causa donationis morte confirmatur, *c. fin. l. Cum hic status 32. §. 1. ff. de l. donationes 25. C. hanc Rubricam.* Cujus ratio est partim; quod, matrimonio per mortem soluto, cesset ratio mutuae spoliationis, ex affectus conjugalis vehementia merito timenda: partim verò; quod donationem in vita, cum posset, non revocans in eadem voluntate perseverasse, *c. Majores 3. §. fin. de Baptismo & l. Sancimus 27. C. de Te-*

stament. ac proinde per ultimam voluntatem relinquere & legare videatur.

Porro, ut conjugis in conjugem donatio ita confirmetur, quatuor conditiones à DD. exiguntur.

Prima est; ut res ante donantis mortem sit tradita, ut desumitur ex *l. Papi-nianus 23. ff. ubi, solà stipulatione promissum non deberi, asseritur, & l. Res uxoris 24. ibi, Quae largitione viri in eam, uxorem, ante pervenerat, C. hanc Rubr. cum enim talis donatio infirma sit, apud donatarium aliquid esse oportet, quod confirmetur, Clarus §. Donatio, q. 9. n. 6. & Covarruvias in Rubric. de Testament. p. 5. n. 3. Necessaria tamen non est traditio vera, sed sufficit ficta, v.g. per clausulam constituti, si nimirum donans nomine donatarii se possidere constituat; sic enim traditur ficta possessio, *l. Quod meo 18. pr. ff. de Adquir. possess. per confessionem dotis receptae, confluente matrimonio factam à marito: per confessionem instrumentorum rei donatae: per debiti remissionem animò donandi factam: per translationem sibi v.g. marito debiti factam in uxorem, ejusque in rationum libro descriptionem &c. de quibus latè Sanchez Lib. 6. de Matrim. disp. 14. n. 12.**

Secunda; ut donans ante donatarium decedat, *citr. c. fin. §. 1. Cum hic status, §. 12. in fine;* cum enim donatio donatario acquirenda sit ex morte conjugis, istò non superflite, evanescit. In dubio autem, uter mortuus sit, praesumendum est, donantem prius obiisse, ejusque morte donationem confirmatam, ut *l. cit. §. 14. habetur & arg. Regg. In pari 171. ff. §. 65. in 6. tradunt Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 7. n. 5. & Molina Trañ. 2. de l. §. 1. disp. 289. n. 11.*

Tercia; ut donatio non sit revocata, *citr. c. fin. §. 1. Cum hic status 32. §. 2. & 3. Re-*

37. **§ 2.** Revocatio autem fieri potest vel expresse, per verba, scripturam &c. vel tacite, exercendo actum, ex quo voluntatis mutatio præsumatur: cujusmodi sunt Primò, divortium ex displicentia factum, & matrimonii redintegratione non sublatum, *l. cit. §. 10. & 11.* Secundò, si res antè conjugii donata doneatur alteri: si ea vendatur, permutetur, legetur, aut hypothecæ speciali subiiciatur; tali enim actu, si aliud non exprimat, revocata cenetur, *l. cit. §. 5. & 15. & l. Si maritus 12. C. hanc Rubr.* Tertio, si donatarius v.g. uxor mores mutet in præjudicium donantis, committendò v.g. adulterium, aut illi ingratum se exhibendò, *arg. c. fin. de Donation. & l. fin. C. de Revocand. donat.* Quarto, si graves inimicitie inter eos oriantur, *arg. §. 10. cit. &c. Molina cit. n. 11. in fine, & cit. Sanchez disp. 15. tota, cujus n. 1. probè monet, in dubio prioris voluntatis mutationem & donationis revocationem in donatario non præsumi, ut colligitur l. cit. §. 4. verbis, Si appareat, defunctum evidenter revocasse.*

30. Quarta; ut, si donatio quingentos solidos excedat, eius insinuatio facta sit iudici; sine hac enim quantitatis, illos excedentis, donatio quoad excessum donantis morte non confirmatur, *l. Donationes 25. C. hanc Rubr. Clarus §. Donatio, q. 17. n. 3. & cit. Molina n. 7. Quoad excessum, inquam, iuxta l. cit. ibi, Amplioris quantitatis donationem, minimè insinuatam, confirmari non concedimus.* Quoad summam autem legibus permisam ita confirmatur; ne utile per inutile vitietur, cum ab isto potest separari, contra *Reg. Utile 37. in 6. ut eam cum Dyno n. 4. explicat cit. Sanchez disp. 14. n. 25. Ex dictis*

32. Dubium oritur primò, an inter conjuges donatio etiam confirmetur morte

Civili: quæ contingit per servitutem, vel per exilium ac deportationem, vel per Religionis professionem. Quorum modorum

Primò, si civiliter conjux moriatur, opus est distinctione; vel enim fit servus hominis, vel pœnæ: ut si damnetur in metallum? Si priori, donatio evanescit, *l. Cum hic status cit. §. 6.* Si posteriori modo servus fiat, eam respectu fisci confirmari; ut donatum non iste, sed donatarius capiat, si à donante non revocetur, desumitur ex *l. Res uxoris 24. junctâ Glosâ V. Deducto, C. hanc Rubric.* Ratio discriminis est; quia servus hominis transit in dominium alterius, non etiam servus pœnæ. Unde ab illo ante servitutem facta donatio, ab eo, cuius potestati subiicitur, revocari potest, Sylvester *V. Donatio 2. q. 4. & Haunoldus Tom. 3. de l. & l. Traçt. 9. n. 194.*

Alterò modò, sive cum maritus donans in exilium mittitur & deportatur, ab eo in uxorem factam donationem respectu fisci confirmari, desumitur à paritate donationis causâ mortis, quæ Civili morte confirmatur, *l. Sed si mors 13. §. 1. ff. hanc Rubr. Respectu fisci, inquam: non respectu viri donantis; quia ab isto ea revocari potest, eaque revocatâ res donatâ, hoc ipso; quod in bonorum publicatione non fuerint contentæ, non cedunt fisco: sed ad ipsum donantem revertuntur, ut ex l. Res uxoris cit. colligunt iidem, Molina n. 6. & Sanchez disp. 17. n. 3. Dixi etiam, A marito in uxorem; quia ab hac in illum collata donatio morte donantis Civili non confirmatur, sed evanescit; quia *l. cit.* continet speciale privilegium uxoris, cuius pudicitia præmio cessit, ut iterum advertunt Molina & Sanchez *l. cit.**

Tertio modò, sive professione Religionis, 34.

E e e

ligionis,

ligionis, si coniux civiliter moriatur, necessaria est distinctio inter Religiones; vel enim, quam donans profitetur, professionis bonorum in communi & successione incapax est, ut est Ordo FF. Minorum S. Francisci & Capucinatorum? & conjugis donantis professione donatio ita confirmatur; ut neque ipsa valeat revocari, neque donantis mors naturalis debeat expectari, ut cum *cit.* Sanchez *n. 9.* rectè docet Palao *Tract. 32. disp. 2. p. 25. §. 5. n. 3.* Ratio est; quia mors Naturalis & Civilis æquiparantur, quando utraque eundem effectum habet quoad bona, Glossa in *Clement. 2. V. Moriente, de Electione*, Panormit. in *c. Nisi essent 21. de Præbend. n. 11.* & Baldus in *l. fin. C. de Episc. & Cleric. pr.* Mors autem Civilis per professionem Religionis, bonorum incapax, eundem, quem Naturalis, effectum habet quoad bona; cum hæc à Religionis professio neque in communi neque in particulari valeant possideri. Confirmatur; quia professione illa matrimonium, licet quoad vinculum perseveret, quoad effectum tamen & communem habitationem solvitur, sicut per mortem naturalem. Vel Religio successione est capax? & donatio confirmatur non professione, sed naturali morte illam professi: qui proinde accedente voluntate superiorum antè factam donationem revocare non minus valet, quàm eam, quæ facta est causâ mortis. Si verò non revocetur, donante ante donarium mortuò, omnino confirmatur, ut cum *cit.* DD. tradit Haunold. *n. 193.*

Neque obstat; quòd professus revocare nequeat testamentum; quia latum discrimen inter hoc, & à conjugem, aut mortis causâ factam donationem intercedit; ad illius enim revocationem Jure requiritur potentia conden-

di aliud testamentum, §. *Posteriore 2. §. Ex eo 7. Instit. Quibus modis testam. inf.* Cum ergo Testamentum condere professus nequeat, *can. Quia ingredientibus, 19. q. 3. c. Quia 2. de Testament.* etiam antè professionem conditum non poterit revocare, ut cum Panormit. in *c. In presentia 8. de Probat. n. 61.* docent Covarruvias in *c. Quia cit. n. 9.* & Guttierrez *Q. D. Canon. Lib. 2. cap. 1. d. n. 37.* & Fachineus *Controvers. Lib. 6. cap. 15.*

Dubium secundò est, an eadem confirmetur juramentò, præstitò de canon revocanda? Cujus Resolutio pendet à traditis *Lib. 2. Tit. d. n. 76.* ubi actus Jure Civili invalidos, ita ut obligationem Justitiæ & actionem Civilem pariant, non confirmari, est dictum. Cui doctrinæ inhæreo & censeo, propositò juramentò donationis revocationem illicitam quidem reddi, hòc ipsò; quòd illi adjectum juramentum non vergat in dispendium salutis aeternæ neque in tertii privati aut boni publici præjudicium cedat, ac proinde observandum sit juxta Regulam *c. Cum contingat 28. de Jurejurand. §. c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* nihilominus contra juramenti Religionem factam validam esse, sicut valida est revocatio testamenti vel procuratoris.

### ARTICULUS III.

De Dotis & propter nuptias Donationis Restitutione faciendâ Matrimonio solutò.

### SUMMARIUM.

38. Bona uxoris alia Dotalia,  
39. Alia Paraphernalia vel Receptitia  
sunt. 40. Con-

40. Conjugiō invalidā solutō dos ad uxorem,
41. Et propter nuptias donatio ad maritum redit:
42. Si illius nullitatem conjuges ignorarunt.
43. Secus dos & donatio illa fisco cedit.
44. Restituenda est dos integrè,
45. Etiam cum matrimonium ratum v.g. Professione,
46. Et consummatum morte naturali:
47. Vel quoad solam cohabitationem sine culpa solvitur.
48. Etiam bona constante matrimonio quaesita dividenda, asserentium,
49. Et negantium Opinio verior,
50. Secluso jure speciali.
51. Conjux adulter amittit dotem & donationem illam,
52. Quae cedit lucro innocentis:
53. Nisi iste acceptam injuriam remiserit,
54. Vel in adulterium consenserit,
55. Vel nocens liberos habeat,
56. Vel adulterium commiserit uterque.
57. Uxor adultera non amittit bona Paraphernalia:
58. Neque Dotalia ante judicis sententiam.
59. Quae etiam ablata recuperat reconciliatione,
60. Facta sine reservatione juris, ex adulterio quaesiti.

38. **B**ona Uxoris triplicis generis sunt, Dotalia, Paraphernalia & Receptitia.

Dotalia, das Heurath-Gut/ dicuntur pecunia & res quaecunque mobilis aut immobilis, ab uxore vel ejus nomine ab alio data marito; ut ex ejus fructibus alat uxorem aliisque matrimonii onera sustineat, c. Salubriter 6. de Usu-ru & l. Si quis 21. §. 1. ff. hac Rubr. l.

Dotis 7. pr. ff. l. Pro oneribus 20. C. de Jure dotium & l. Si cum dote 22. §. 8. ff. Solutio matrim. in cuius sibi datae compensationem sive securitatem maritus uxori affert donationem, quae olim Ante hodie Post nuptias Germanicè die Wittlag vocatur, §. Est & aliud 3. Instit. de Donat. ante nupt. & Jure communi dotis nomine accepta aequare; eamque ob causam dote, sive ante sive jam constante matrimonio aucta, juxta ejus incrementum augeri etiam ipsa debet, §. Est & aliud cit. l. Si constante 19. & auth. Sed jam necesse, C. Rubr. cit. & Novel. 93. cap. 1. & 2.

39. Paraphernalia, Germanicè das zugebrachte Gut sunt, quae uxor ultra dotem marito affert, l. Hac lege 8. C. de Pacta convent. quae, licet, ut conveniens est, marito tradantur, nullò tamen modò istius fiunt; sed eorum solam custodiam atque administrationem ab uxoris voluntate pendentem & ad libitum revocabilem habet. Eorum etiam fructus non facit suos; sed tantum ad communem, hoc est, suam & uxoris utilitatem v.g. in alimenta aliisque res utriusque promiscuè necessarias expendere potest, l. fin. C. ibid. Petr. Barbosa in l. 1. ff. Solutio matrim. p. 1. n. 29. & 30. & Bruneman. in l. Hac lege cit. à n. 1.

Receptitia demum vocantur, quae ex suis bonis uxor per pacta dotalia sibi suaeque dispositioni reservavit, neque voluit esse in potestate mariti, Honorius ad hanc Rubr. n. 24. Brunemannus in l. Maritus 21. C. de Procurat. n. 11. Hic praecipue sermo est de primo genere bonorum scilicet Dotalium, de quibus

40. Regulæ instar tradi solet, dotem, sicut sine matrimonio consistere nequit, l. fin. C. de Donat. ante nupt. ideoque nuptiis non secutis non deberetur, l. Item quia 4. §. 2. ff. de Pactis & l. In prohibendo 41.

do 41. §. 1. ff. de Jure dotium: & si soluta sit, repeti valet, l. Si tutor 7. C. de Interdicto matrim. inter pupill. ita soluto matrimonio restituendam, l. Solutio 2.

41. pr. ff. & l. Filia 7. C. Solutio matrim. Eadem ratio est donationis propter nuptias; nam sicut dos non secuto matrimonio, ita sine isto, aut etiam non numerata dote, ipsa exigi nequit, Auth. Sed qua C. de Pact. convent. & sicut cessantibus patris dotalibus, hac in re observandis, l. Ex morte 9. C. de Pact. dotal. soluto matrimonio dos, sic etiam ipsa jam constituta repeti potest, c. fin. hanc Rubric. l. fin. C. de Donat. ante nupt. & Novell. 98. cap. 10. cum; quod, cessante causa, cessare debeat effectus, c. cum cessante 60. de Appellat. tum vero; quod dos & donatio propter nuptias pari passu ambulent, l. Ex morte cit. Glossa in c. fin. cit. V. Sicut dos, Vivianus in c. cit. §. 3. & Zœsius ad hanc Rubr. n. 3. Hæc tamen Regula suas paritur exceptiones: quibus, vel Regulæ quando locus sit, præ oculis habendæ sunt causæ, ex quibus matrimonii dissolutio contingit.

42. Primò enim, si matrimonium inter duos initum propter detectum, quod antè ignorabatur, impedimentum dirimens declarètur nullum; & propterea conjuges separentur, uxori dotem & donationem propter nuptias viro restituendam, liquet ex c. 1. ut ejus textum cum Glossa in casu, Joan. Andr. & Panormit. n. 1. intelligit Campegius de Dote p. 3. q. 238. Ratio est; quia, cum inter eos legitimum matrimonium, ac proinde illa uxor & iste maritus verè non fuerint, dos & donatio propter nuptias inter eos locum non habuit, l. Dotis 3. ff. de Jure dotium & §. Si adversus 12. Instit. de Nuptiis, & utriusque nomine accepta integrè sunt restituenda; quia datum ob causam, causâ non secuto, revocatur, l. 1.

ff. de Condit. causâ datâ.

Dixi imprimis, Quod ignorabatur, 47. ignorantia vel errore probabili; quia, si nuptiæ cum impedimento dirimente initæ fuissent scienter, vel cum ignorantia supina & crassa, qualis in matrimonio clam inito præsumitur, c. fin. §. Si quis, de Clandest. despons. dos & donatio propter nuptias amitterentur & fisco applicarentur: nisi illegitimè contrahentes minor ætas excusaret, l. Qui contra 4. C. de Incest. nupt. Petr. Barbosa in l. Si cum dorem 22. §. fin. ff. Solutio matrim. n. 24. & Farinac. Prax. Criminal. q. 149. à n. 134. cujus textus dispositio in nuptiis non solum Civili, ut existimant Peregrinus de Jure Fisci Lib. 5. Tit. 1. n. 15. & Palao Tract. 32. disp. 2. p. 25. §. 1. in fine, sed Canonico etiam Jure reprobatis locum habet; quia ante Impm. Valentin. Theodot. & Arcadium, l. Qui contra cit. conditores, à Calixto, Fabiano & Julio summis Ecclesiæ Antistitibus inter consanguineos, affines &c. inita conjugia sunt reprobata; ideòque l. cit. eos, qui Contra legum præcepta, mandata, constitutionesque Principum nuptias contrahunt, dotis & propter nuptias donationis &c. amissione plectentis, dispositionem de nuptiis, per Imperiales & Ecclesiasticas constitutiones reprobatis, exaudiendam, cum Zabarella in c. Et si necesse 5. hanc Rubr. §. Quæro, & Panormit. in c. cit. n. 10. &c. eruditè advertit Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 6, §. 8. à n. 30.

Dein dixi, dotem restituendam Integre, juxta c. 1. cit. ibi, Totam dotem precipimus reddi; quantumvis enim maritus habeat beneficium Competentiæ, & uxori restituere regulariter non teneatur, nisi quatenus ejus facultates patiuntur, §. Item si de Dote 37. Instit. de Actionibus, l. Maritum 12. ff. Solutio matrim. & l. Non tantum 20. ff. de Re judic. Bruneman.

Bruneman. in l. Maritum cit. à n. 1. hoc tamen Juris privilegium veris tantum maritis competit, non putativis; cum concessum sit ob reverentiam maritalem, l. Unica, §. 7. C. de Rei uxore. ad. quæ nulla est in eo, qui maritus putabatur, & non fuit, ut in c. 1. cit. contra Glossam V. Totam, advertunt Joan. Andr. Panorm. n. 4. & Canisius n. 2.

45. Secundò, si matrimonium fidelium solummodo ratum per professionem Religionis vel dispensationem Apostolicam: vel infidelium iam consummatum, uno coniugum converso, alterò verò ipsi, simpliciter aut sine contumelia Creatoris, cohabitare renuente dissolvatur, juxta traditam Regulam uxori dos, & donatio propter nuptias marito, eorumve hæredibus restituenda est, c. 1. cit. ut eius textum explicat Gonzalez n. 3. in fine.

46. Tertio, eodem modo, si non obstant pacta nuptialia, vi quorum, alterò præmortuò dos aut donatio propter nuptias superstiti debeat remanere, l. Si convenit 6. C. de Pact. convent. secundum eandem Regulam utriusque restitutio facienda est, quando matrimonium ratum aut consummatum solvitur per coniugum alterius mortem naturalem, c. 1. l. Unic. cit. & l. fin. C. Solutio matrim. Ratio utriusque, præter allatam pro Regula, est; quòd dos sit accessoria matrimonio, & specialiter detur; ut sit apud maritum, l. 1. ff. de Jure dotium, matrimonii onera supportaturum, c. Salubriter cit. ac proinde, cum, matrimonio solutò, maritus, qui fuit, esse, & matrimonii onera supportare desinat, dotis & consequenter etiam propter nuptias donationis, l. Ex morte cit. restitutio sit facienda. Ita ex communi aliorum cit. Gonzalez à n. 10.

47. Quartò, vi eiusdem Regulæ dos & propter nuptias donatio restituenda etiam est, quando matrimonium sine culpa

vg. per susceptionem Ordinis sacri vel professionem Religiosam, cum alterius coniugis consensu ab uno factam, perpetuò solvitur quoad thorum & cohabitationem, c. 1. cit. Ratio est; quia in huiusmodi divortium consentientes coniuges tacitè pacti esse videntur; ut uterque alteri restituat, quòd ab eo accepit, duo Barbosa, Petr. in Rubr. ff. Solutio matr. p. 2. n. 56. Augustin. in c. 1. cit. n. 5. Perpetuò, inquam; quia, si coniugium absque alterius culpa ita solveretur tantum quoad tempus, dotis restitutioni & c. cit. dispositioni locum non esse, cit. n. 5. idem rectè adnotavit.

Dubium hinc nascitur, an matrimonio ex dictarum causarum aliqua solutò, præter dotem alia etiam bona uxori sint restituenda. Ratio dubitandi desumitur ex c. Significavit 2. ubi, matrimonium dissolutò, vir non solum ad dotis restitutionem, sed etiam ad bonorum, quæ communiter habuerunt, divisionem compelli iubetur: quòd etiam suadet ratione; quia inter coniuges contrahitur societas, can. Cum societas nuptiarum, 27 q. 2. c. Præterea 2. de Sponsal. & matr. ibi, Instar eorum, qui societatem contrahunt: & illud, Mulier, quam dedisti mihi sociam, Genes. cap. 3. V. 12. inter socios autem, lucrum dividatur l. 1. l. Si non fuerint 29. pr. & l. Si unus 67. ff. Profocio. Unde de Jure communi, constante matrimonio, quæ sita bona omnia inter conjuges communicari, existimant Tholos. Lib. 45. Syntag. cap. 14. n. 28. & Lud. Gomez in §. Actiones 10. Inst. de Actionibus n. 12. & alii apud Barbosa in c. Significavit cit. n. 4.

49. Meritò tamen iste n. 5. & Gonzalez in c. cit. n. 5. contrarium defendunt cum cit. Covarruvia p. 2. cap. 7. §. 1. n. 5. Petr. Barbosa cit. p. 2. n. 47. in fine, Gutierrez Pract. Lib. 2. q. 118. n. 5. & aliis permultis eà ductis ratione; quòd vera & propriè

propriè dicta societas, per quam generaliter omnia bona seu lucra, constante matrimonio quasita, inter conjuges communia fiant, Jure communi, tam Ecclesiastico quàm Civili, nupsiam sit introducta.

Ea professò non evincitur ex *c. cit.* quia istius decisio non in aliqua Regula Juris communis, sed peculiari provinciæ & diocesis Lexovienfis, in qua ejus casus evenit, consuetudine vel statuto fundatur, ut *ibi* cum Panormit. *n. 3.* advertit 50. *cit.* Gonzalez *n. 6.* vel, hujusmodi speciali Jure seclusò, solummodo locum habet, quando inter conjuges societas expressè contracta est: vel de iis tantùm bonis procedit, quæ conjugibus communiter obvenierunt; quòd vel utrique simul donata, vel aliò modò relicta, vel ex utriusque pecunia & utriusque nomine empta sint. Atque hanc Glossæ *fin.* Panormit. *n. 3. cit.* & Alex. de Nevo *n. 6.* expositionem priori meritò præferunt Covarr. *cit. n. 5.* & Barbosa *in c. cit. n. 6.* quòd maxime conveniat textui, Societatis aut Actionis pro socio ne verbò quidem mentionem facienti: sed tantùm imperanti divisionem (etiam extra societatem) in rebus communibus à Jure concessam, §. *Item si inter 3. Instit. de Oblig. ex quasi contract. l. Ut sit 31. ff. Pro socio.*

Minus, quàm textus, urget ratio; quia locis allegatis matrimonium Societas, & conjuges Socii ideo solum vocantur; quòd matrimonium consortium omnium vitæ & Divini humanique Juris communicatio sit, *l. 1. ff. de Ritu nupt. & conjuges Socii* vocentur ratione cohabitationis, ut rectè observant Barbosa & Gonzalez *l. cit.*

51. Quintò, si propter unius conjugis adulterium divortium factum sit, adultera uxor amittit dotem, eamque lucratur unaque donationem propter nuptias re-

cuperat maritus: & hòc adulterium committente, uxor recuperat dotem & donationem propter nuptias lucratur, *c. Plerumque 4. hâc Rubr. l. Consensu 8. §. 4. & 5. C. de Repud. & Novell. 117 cap. 8. V. Si de adulterio, Canisius in c. cit. n. 1. & 6. Barbosa n. 1. 3. & 9. Gonzalez n. 1. & alii Interpp. ac DD.* Ratio est; quia adulterii crimen gravissimum, *can. Quid in omnibus, 32. q. 17.* & maxime injuriosum est matrimonio & conjugi innocenti. Unde in poenam adulterii imprimis innocenti conceditur divortium, quò nocens privatur matrimonii usu, *c. Significasti 4. & c. Ex literis 5. de Divort.* deinde auferatur dos & donatio propter nuptias, quæ in offensâ compenationem ac solatium cedunt lucro innocentis, Vivianus *in c. Plerumque cit.*

Atque hæc dotis & propter nuptias donationis amissio per adulterium incurritur etiam, si hoc à sponsa vel sponso præsentis ante matrimonii consummationem: & satis probabiliter etiam, si à conjugè, propter matrimonii nullitatem, ex occulto impedimento proveniente, tantùm putativo committatur, ut cum Claro §. *Adulterium, n. 9. & 14.* tradit Sanchez *Lib. 10. de Matrim. disp. 3. n. 6. & 7.* ut hòc posteriori casu, detectâ matrimonii nullitate, dos & donatio illa, saltem postquam innocenti jam applicata est, non sit restituenda, Petr. Barbosa *in l. Solutò 2. pr. ff. Solutio matr. p. 1. n. 93. & 94.*

Non desunt tamen casus, quibus dos & donatio propter nuptias ob adulterium non amittuntur, & non cedunt lucro conjugis innocentis; id enim sit Primò, si v.g. maritus uxori post commissum ab ista adulterium tacendò eique cohabitandò &c. est reconciliatus, argumentò à contrario ductò ex *c. Plerumque cit.* quòd ita injuriam & actionem, quam habebat, tacitè

facitè remississe videatur, Glossa in *cit. c. V. Nec reconciliata*, Sylvester *V. Adulterium*, q. 6. & Farinacius *Prax. Criminal.* q. 142. n. 68.

§4. Secundò, si idem in conjugis adulterium consensit: & multò magis si ipse leno fuit, eamque prostituit; tali enim casu, sicut maritus ratione dotis conventus uxori adulterium, sic ista ipsi lenocinium objicere potest, *l. Cum mulier 47. ff. Solutio matr.* quòd mores, quos ipse corruptit, non valeat improbare, Panormit. in *c. Significasti 4. de Divortio n. 6. & cit.* Farinacius n. 79.

§5. Tertio, si uxor aut maritus adulter ex eodem vel alio matrimonio habeat liberos; quia hòc casu dos & propter nuptias donatio adulteri liberis servanda est quoad proprietatem; ut conjux innocens solum usumfructum, dum vivit, lucretur, *Novell. 117. cap. 8. V. Si enim filios habuerit.* Ita Covarruvias *cit. §. 6. n. 4.* Petr. Barbosa à n. 62. & Farinac. à n. 93. alios casus referens.

§6. Quarto, si adulterii reus est uterque; cum enim tali casu par sit utriusque delictum, id quoad divortium dotisq; & propter nuptias donationis amissionem mutuo compensatur, *c. Intelleximus 5. & c. fin. de Adul. & Stupr. §. 1. Viro atque uxore 36. ff. Solutio matr.* & probabilius etiam, si eorum alter, v.g. maritus in adulterium lapsus sit, postquam ab uxore adultera Ecclesiastici judicis autoritate divertit; cum enim tali casu ad matrimonii redintegrationem juxta dicta *Tit. 19. n. 89.* etiam ad dotis & propter nuptias donationis ob adulterium amissa recuperationem adversus maritum adulterum agere valebit uxor, antè commissò à se adulterio non obstante, ut cum Petr. Barbosa in *l. Viro cit. n. 3.* & aliis docet Palao *Tract. 28. disp. 3. p. §. 6. n. 14.* Plures casus refert Farinacius *l. cit. à n. 68.*

Dubium hìc primò est, an uxor ad-  
57. ultera etiam amittat bona Paraphernalia. Hoc enim cum Glossa in *c. Plerumque cit. V. Dotalitium*, affirmant Covarruvias *cit. cap. 7. §. 6. n. 2.* & Clarus *§. Adulterium cit. n. 15.* id defumentes ex *c. cit.* verbis, *Dotem vel Dotalitium*, quò posteriori nomine Paraphernalia venire existimant, *repetere non valebit.*

Verùm *c. cit. Dotalitij* nomine non veniunt bona Paraphernalia: sed vel donatio propter nuptias in compensationem dotis & quasi in dotem à marito in uxorem collata, juxta *c. Ex parte 15. de Foro compet.* ut observant Nicol. Everard. *Vol. 1. consil. 49. n. 19. & 22. cit. Sanchez disp. 8. cit. n. 10.* & Gonzalez in *c. Plerumque cit. n. 6.* vel, qui Panormit. n. 8. Canisii n. 3. & meò judicìo, expeditior intellectus est, pretium sive aestimatio dotis, quæ data est in rebus, quæ constant numerò, pondere & mensurà, aut res aestimatae datæ in dotem. Unde Paraphernalia amitti, præter hos DD. meritò negant Sylvester *V. Adulterium q. 6.* Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 418. in addit. ad n. 5.* Barbosa *p. 1. cit. à n. 54.* & Farinac. *q. 142. cit. n. 69. in fine,* eà persuasi ratione; quòd *c. cit.* dispositio tanquam pœnalis restringenda potius sit, quàm extendenda, *arg. l. Interpretatione 42. ff. de Penis, Reg. Odia 15. & Reg. In Penis 49. in 6.*

Dubium secundo est, an ob adulterium dos & donatio propter nuptias amittatur ipso Jure. Qua in re DD. variè sentiunt & loquuntur. Mihi cum Panormit. in *c. Plerumque cit. n. 4.* Alex. de Nevo *ibid. n. 6.* & Sylvestro *q. 6. cit.* maritus quidem dotem sibi traditam retinere, & adversus adulteram eam repetentem exceptione adulterii uti posse: idque non obscure insinuari, videtur decisione *c. Plerumque cit.* secundùm quam Uxor, quæ post fornicationem proprià voluntate recessit,

effit, (aut, cum de illa notoriè conflaret, expulsa est) à viro dotem repetere non valet; ad eam autem post adulterium marito divertenti tradendam uxorem, vel maritum adulterum ad eandem cum donatione propter nuptias ante sententiam iudicis uxori restituendam in conscientia obligari, non censeo cum Hostiensi in c. Porro 3. de Divortio n. 3. Covarruvia cit. §. 6. n. 1. & cit. Sanchez l. cit. n. 13. Ratio est; quia amissio dotis est pœna: ad quam ante sententiam iudicis exsolvendam, cum obligatio in conscientia non datur, arg. c. Cum secundum leges 19. de Heret. in 6. adulter Jure retentionis uti valet, donec ad faciendam restitutionem per sententiam compellatur.

59. Dubium est tertio, an semel amissa dos &c. recuperetur, si conjuges post divortii & privationis sententiam reconciliantur. Casu, quò reconciliationi adjicitur pactum; ut ex adulterio quæsitum jus innocenti salvum relinquatur, eam, sicut & donationem propter nuptias non recuperari, certum mihi videtur, non obstante l. Transigere 18. C. de Transact. quia, ut cit. Sanchez n. 22. advertit l. cit. circa crimen adulterii ea solummodo

transactio est interdicta, quâ uxor adultera marito spondet id, quoad hunc non pertinet: cujusmodi dos non est post adulterium & sententiam judicalem.

An autem recuperetur reconciliatio, factâ sine tali pacto, dubitandi ratio est; quòd per sententiam dos pleno jure transferit ad maritum: reconciliatio autem facta censei possit quoad solum thorum & mutuum cohabitationem.

Nihilominus, etiam tali casu dotem recuperari, cum Alex. de Nevo in c. Plerumque cit. n. 6. Angelo V. Adulterii n. 3. & Sylvestro q. cit. & aliis verisimilius defendit cit. Sanchez n. 21. id colligens ex c. Plerumque cit. textu, ab ejus amissione excipiente casum reconciliationis, non distinguendò, an ista ante, vel post sententiam sit facta. Ratio est; quia tali reconciliatione, si aliud non exprimitur, censetur conjux restitui in statum pristinum, in quo ante adulterium fuit; quia reconciliatio sive remissio in delictis est favorabilis; est enim liberatio à pœna quæ, quia odiosa est, eam remittens reconciliatio favorabilis erit & extendenda, ut rectè notat Dynus in Reg. Odia 15. in 6. à num. 2.

## TITVLVS XXI.

### De Secundis Nuptiis.

**R**imis dissolutis, plerumque transitur ad nuptias secundas: quarum eadem, quæ primarum causæ, iidemque effectus sunt & impedimenta, exceptò Ligamine

seu matrimonii antè initi vinculo: cujus proinde dissoluti certitudinem, & secundarum Nuptiarum pœnas, spectantes textus ad hanc Rubricam sunt declarandi,

ARTICL.